

denique pro suggesto concionantem audire
 unice omnium in votis habuit D. Augusti-
 nus? Non igitur illam ecclesiasticam docen-
 di, hortandi, consolandi vim ac *δυναμιν*
 siue potentiam, quâ præ Scribis, Phariseis,
 ac reliquis adeò Iudæorum doctoribus, ad-
 miraculum usque, Mattheo teste, pol-
 luit & usus est Saluator noster, illic per-
 stringit Apostolus; sed fucatam illam
κολακικην, quæ religionem inflectit ad ho-
 minum cupiditates, quibus nimirum to-
 ta subserviens phalerato atque ambitioso
 verborum apparatu, ac quæsitis sententia-
 rum delitiis, doctrinam de miseria homi-
 nis, de naturæ nostræ, adeoque etiam vo-
 luntatis atque arbitrii tetra contamina-
 tione, de peccati atrocitate, de ignominiosa
 Christi cruce ac morte, de afflictionibus
 Christiano homini non tolerandis solum,
 sed ultrò etiam, cum res postulat, subeun-
 dis; eam, inquam, doctrinam vel planè
 dissimulat, vel hominum commentis, &
 fucatae facundie coloribus ita obliniit, ut
 nativa eius facies nusquam appareat. Pi-
 debat nimirum istos fastuosos oratores tam
 humilis argumenti, tamque abiectarum
 materialium; utpote quas minimè omni-